



**R. P. D. Thomæ Delbene Marvbiensis, Clerici Regvlaris,
Sacrae Theologiae Professoris ... De Immvnitate, Et
Ivrisdictione Ecclesiastica**

Bene, Thomas del

Lugduni, 1674

Bulla Alexandri VII. Literæ processus lectæ die Coenæ Domini 1656.
Sequuntur Additiones nouissimæ R. P. Thomæ Delbene, ad suos Tomos de
Immunitate, & Ivrisdictione Ecclesiastica, quæ totam ferè ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98676](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98676)

Annulo Piscatoris, die vj. Octobris M.DC.LIII. Pontificatus nostri anno 10.

G. G. VALTERIVS.

ALEXANDRI VII. BVLLA.

Literæ Processus lectæ die Cœnæ Domini
M. DC. LVI.

In nomine Sanctiss. & indiuiduæ Trinitatis,
Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.
Amen.

Nouerint vniuersi, & singuli hoc præsens Transumptum inspecluri, quod nos Odoardus Vecchiarellius Protonotarius Apostolicus utriusque Signatura, Sanctissimi D.N. Papa Referendarius, necnon Curia Causarum Cam. Apost. Generalis Auditor, Romanæque Curia Index ordinarius, sententiarum quoque, & censurarum tam in eadem Romana Curia, quam extra eam latorum, ac literarum Apostolicarum quarumcumque vniuersalis, & merus executor ab eodem S. D. N. Papa specialiter electus, & deputatus, vidimus, & diligenter inspicimus literas Apost. S. D. N. ALEXANDRI diuina Previdentia Papa VII. hodie, quæ fuit dies feria quinta, & Cœnæ Domini, solenniter more solito lectas, & publicatas, eiusque Bullam plumbeâ cum chordula rubei croceique colorum more Romana Curia pendente expeditas, & omni suspitione carentes tenoris prout infra, videlicet.

ALEXANDER EPISCOPVS,
Seruus Seruorum Dei. Ad futuram
rei memoriam.

Excommunic. & anathematizantur.

Pastoralis Romani Pontificis vigilantia, & sollicitudo, cum omni Christianæ Reipublicæ paci, & tranquillitati procurandæ, pro sui muneris officio assidue versatur, tum potissimum in Catholicæ fidei, sine qua impossibile est placere Deo, vnitatem, atque integritatem retinenda, & conseruanda maxime elucet: Nimirum, ut fideles Christi non sint paruuli fluctuant, neque circumferantur omni vento doctrinæ in requiritia hominum, ad circumuentionem erroris, sed omnes occurrant in vnitatem fidei, & agnitionis filij Dei in virum perfectum, neque se in huius vitæ societatem & communionem dent, ut inter se alter alteri offensionem præbeat: sed potius in vinculo charitatis coniuncti, tanquam vnius corporis membra sub Christo capite, eiusque in terris Vicario Rom. Pontifice Beatissimi Petri Successore, à quo totius Ecclesiæ vnitatis dimanat, augeantur in ædificationem, atque ita diuina gratia adiutrice, sic præsentis vitæ quiete gaudeant, ut futura quoque beatitudine perfruantur. Ob quas sanè causas Rom. Pontifices Prædecessores nostri, hodierna die, quæ anniuersaria Dominicæ Cœnæ commemoratione solennis est, spiritualem Ecclesiasticæ disciplinæ gladium, & salutaria iustitiæ arma per ministerium Summi Apostolatus ad Dei gloriam, & animarum salutem solenniter exercere conseruerunt. Nos igitur, quibus nihil optabilius est, quam fidei inuiolatam integritatem, publicam pacem, & iustitiam, Deo auctore tueri, vetustum, & solennem hunc morem sequentes,

Heretici cuiuscumque sectæ, eorumdem fautores, libros legentes, tenentes, aut imprimentes & schismatici.

1. Excommunicamus, & anathematizamus, ex parte Dei Omnipotentis Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, auctoritate quoque Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, ac Nostra, quoscumque Hussitas, Vi-

chlephistas, Luteranos, Zuingianos, Calvinistas, Vgottos, Anabaptistas, Trinitarios, & à Christiana fide apostatas, ac omnes, & singulos alios hæreticos quocumque nomine censeantur, & cuiuscumque sectæ existant, ac eis credentes, eorumque receptatores, fautores, & generaliter quoslibet illorum defensores, ac eorumdem libros hæresim continentes, vel de Religione tractantes, sine auctoritate nostra & Sedis Apost. scienter legentes, aut retinentes, imprimentes, seu quomodo libet defendentes ex quavis causa publicè, vel occultè, quouis ingenio, vel colore, necnon schismaticos, & eos, qui se à nostra, & Romani Pontificis pro tempore existentis obedientia pertinaciter subtrahunt, vel recedunt.

Appellantes à Pontif. ad futurum Concilium, eorumque fautores.

2. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & singulos cuiuscumque status, gradus, seu conditionis fuerint: Vniuersitates verò, Collegia, & Capitula quocumque nomine nuncupentur, interdicimus ab ordinationibus, seu mandatis nostris, ac Romanorum Pontificum pro tempore existentium ad vniuersale futurum Concilium appellantes: necnon eos, quorum auxilio, consilio, vel fauore appellatum fuerit.

Pirata, atque eorum receptatores, & fautores.

3. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes Piratas, Corsarios, ac Latrunculos maritimos, discurrentes Mare nostrum, præcipuè à monte Argentario vsque ad Terracinam, ac omnes eorum fautores, receptatores, & defensores.

Naufragorum Christianorum cuiuscumque generis bona, etiam in litoribus inuenta surripientes.

4. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & singulos, qui Christianorum quorumcumque nauibus tempestate, seu in transuersum (ut dici solet) iactatis, vel quoquo modo naufragium passis, siue in ipsis nauibus, siue ex eisdem eiecta in mari, vel in litore inuenta cuiuscumque generis bona, tam in nostris Tyrreni, & Adriatici, quam in cæteris cuiuscumque maris Regionibus & litoribus surripuerint: ita ut nec ob quodcumque priuilegium, consuetudinem, aut longissimi, & immemorabilis temporis possessionem, seu alium quemcumque pretextum excusari possint.

Imponentes noua pedagia, & gabellas, vel eas augentes.

5. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, qui in Terris suis noua Pedagia, seu gabellas, præterquam in casibus sibi à iure, seu ex speciali Sedis Apostolicæ licentia permisis imponunt, vel augent, seu imposita, vel augeri prohibita exigunt.

Falsific. lit. Apost. aut suppl. à quocumque auct. habente signatas, & falsò publicantes literas Apost.

6. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes falsarios literarum Apostolicarum, etiam in forma Breuis, ac supplicationum gratiam, vel iustitiam concernentium, per Romanum Pontificem, vel S. R. E. Vicecancellarios, seu gerentes vices eorum, aut de mandato eiusdem Rom. Pontificis signatarum, necnon falsò publicantes literas Apostolicas, & etiam falsò signantes supplicationes huiusmodi sub nomine Romani Pontificis, seu Vicecancellarij, aut gerentium vices prædictorum.

Deferentes arma, & alia vsui bellico idonea ad Turcas, vel alios Christiani nominis inimicos, & ad Reipubl. Christianam statum pertinentia, & idem in damnum Christianorum nuntiantes.

7. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui ad Saracenos, Turcas, & alios Christiani nominis hostes & inimicos, vel hæreticos per nostras, siue huius Sanctæ Sedis sententias expresse & nominatim declaratos deferunt, seu transmittunt equos, arma, ferrum, filum ferri, stannum, chalybem, omniaque

omniaque alia metallorum genera, atque bellica instrumenta, lignamina, canabem, fures, tam ex ipso canabe, quam alia quacumque materia, & ipsam materiam, aliaque huiusmodi, quibus Christianos, & Catholicos impugnant: necnon illos, qui per se, vel alios de rebus statum Christianae Reipublicae concernentibus, in Christianorum perniciem, & damnum, ipsos Turcas, & Christianae Religionis inimicos, necnon Haereticos, in damnum Catholicae Religionis certiores faciunt, illisque ad id auxilium, consilium, vel favorem quomodolibet praestant, Non obstantibus quibuscumque privilegiis quibusvis personis, Principibus, Rebuspublicis, per Nos, & Sedem praedictam hactenus concessis, de huiusmodi prohibitione expressam mentionem non facientibus.

Impedient. eos qui victualia, & alia necessaria Romam convehunt.

8. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes impedientes, seu invadentes eos, qui victualia, seu alia ad usum Rom. Curiae necessaria adducunt, ac etiam eos, qui ne ad Rom. Curiam adducantur, vel afferantur, prohibent, impediunt, seu haec facientes defendunt per se, vel alios, cuiuscumque fuerint ordinis, praesentiae, conditionis, & status, etiam si Pontificali, seu Regali, aut alia quavis Ecclesiastica, vel mundana praefigant dignitate.

Ad Sedem Apost. venient. vel ab ea recedent. sua aut aliorum opera ledentes, & sine iurisdictione vexant. in Curia commorantes.

9. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos qui ad Sedem Apostolicam venientes, & recedentes ab eadem, sua, vel aliorum opera interficiunt, mutilant, spoliant, capiunt, detinent, necnon illos omnes, qui iurisdictionem ordinariam, vel delegatam à Nobis, vel Nostris Iudicibus non habentes, illam sibi temere vendicantes, similia contra morantes in eadem Curia audent perpetrare.

Romipetas, ac peregr. etiam in Urbe morantes, vel abeuntes ledentes.

10. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, detinentes, capientes, seu depradantes Romipetas, seu Peregrinos ad Urbem causa devotionis, seu peregrinationis accedentes, & in ea morantes, vel ab ipsa recedentes, & in his dantes auxilium, consilium, vel favorem.

Offendentes S. R. E. Card. & alios Praelatos.

11. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes, vel hostiliter insequentes S. R. E. Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Sedisque Apostolicae Legatos, vel Nuncios, aut eos à suis Diocesis, Territoriis, Terris, seu Dominiis eicientes: Necnon ea mandantes, vel rata habentes, seu praestantes in eis auxilium, consilium, vel favorem.

Ad Rom. Cur. pro negotiis suis recurrentes per se, vel per alios ledentes.

12. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui per se, vel per alios personas Ecclesiasticas quascumque, vel seculares ad Romanam Curiam super eorum causis, & negotiis recurrentes, ac illa in eadem Curia prosequentes, aut procurantes, negotiorumque gestores, advocatos, procuratores, & agentes, seu etiam Auditores, vel Iudices super dictis causis, vel negotiis deputatos, occasione causarum, vel negotiorum huiusmodi occidunt, seu quoquo modo percutiunt, bonis spoliant, seu qui per se, vel per alios, directè, vel indirectè delicta huiusmodi committere, exequi, vel procurare, aut in eisdem auxilium, consilium, vel favorem praestare non verentur, cuiuscumque praesentiae, & dignitatis fuerint.

Appellantes à gravamine, vel futura executione literarum Apostolicarum ad Laicam Potestatem.

13. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes tam Ecclesiasticos, quam seculares cuiuscumque dignitatis, qui praetextentes friuolam quandam appellationem à gravamine, vel futura executione lit. Apost. etiam in forma Brevis, tam gratiam, quam iustitiam concernentium: Necnon citationum, inhibitionum, sequestrorum, monitoriorum, processuum executorialium, & aliorum decretorum à Nobis, & à Sede praedicta, seu Legatis, Nunciis, Praesidentibus, Palatii nostri, & Cam. Apost. Auditoribus, Commissariis, aliisque Iudicibus, & Delegatis Apostolicis emanatorum, & quae pro tempore emanaverint, aut alias ad Curias seculares, & laicam potestatem recurrunt, & ab ea, instante etiam Fisci Procuratore, vel Advocato, appellationes huiusmodi admitti, ac literas, citationes, inhibitiones, sequestra, monitoria, & alia praedicta capi & retineri faciunt, quive illa simpliciter, vel sine eorum beneplacito, & consensu, vel examine executioni demandari, aut ne Tabelliones, & Notarii super huiusmodi literarum & processuum executione instrumenta, vel acta conficere, aut confecta parti, cuius interest, tradere debeant, impediunt, vel prohibent, ac etiam partes, seu eorum agentes, consanguineos, affines, familiares, Notarios, exequutores, & subexequutores literarum, citationum, monitoriorum, & aliorum praedictorum capiunt, percutiunt, vulnérant, carcerant, detinent, ex Ciuitatibus, Locis, & Regnis ciiciunt, bonis spoliant, perterrefaciunt, concutiunt, & comminantur per se, vel alium, seu alios, publicè vel occultè, quive alias quibuscumque personis in genere, vel in specie, ne pro quibusvis eorum negotiis prosequendis, seu gratiis, vel literis impetrandis ad Rom. Cur. accedant, recursum habeant, seu gratias ipsas, vel literas à dicta Sede impetrent, seu impetratis utantur, directè prohibere, statuere, seu mandare, vel eas apud se, aut Notarios, seu Tabelliones, vel alias quomodolibet retinere praesumunt.

Executionem literarum Apostolicarum, aut aliarum expeditionum impediunt, & prohibentes ad gratias impetrandas accedentes.

14. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & quoscumque, qui per se, vel alios, auctoritate propria, ac de facto quarumcumque exemptionum, vel aliarum gratiarum, & literarum Apostolicarum praetextu beneficiale, & decimarum, ac alias causas spirituales, & spiritualibus annexas, ab Auditoribus, & Commissariis nostris, aliisque Iudicibus Ecclesiasticis auocant, illorumve cursum, & audientiam, ac personas, Capitula, Conventus, Collegia, causas ipsas prosequi volentes impediunt, ac se de illarum cognitione tanquam Iudices interponunt: Quive partes adrices, quae illas committi fecerunt, & faciunt ad reuocandum, & reuocari faciendum citationes, vel inhibitiones, aut alias literas in eis decretas, & ad faciendum, vel consentiendum eis, contra quos tales inhibitiones emanarunt, à censuris, & poenis in illis contentis absolui, per statutum, vel alias compellunt, vel executionem literarum Apostolicarum, seu executorialium processuum, ac decretorum praedictorum quomodolibet impediunt, vel suum ad id favorem, consilium, aut assensum, etiam praetextu violentiae prohibendae, vel aliarum praetensionum, seu etiam donec ipsi ad Nos informandos, ut dicunt, supplicaverint, aut supplicari fecerint, nisi supplicationes huiusmodi coram Nobis, & Sede Apostolica legitime prosequantur; etiam si talia committentes fuerint Praesidentes Cancellarium, Consiliorum, Parliamentorum, Cancellarii, Vicecancellarii, Consilarii ordinarii,

ordinarij, vel extraordinarij quorumcunque Principum secularium, etiam Imperiali, Regali, Ducali, vel alia quacumque præfulgeant dignitate, aut Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, Commendatarij, seu Vicarij fuerint.

Iudices seculares, qui Ecclesiasticas personas trahunt ad sua Tribunalia, quique Ecclesiasticam libertatem tollunt, aut in aliquo perturbant.

15. Quive ex eorum prætenso officio, vel ad instantiam partis, aut aliorum quorumcunque personas Ecclesiasticas, Capitula, Conventus, Collegia Ecclesiarum quorumcunque coram se ad suum Tribunal, Audientiam, Cancellariam, Consilium, vel Parlamentum, præter Iuris Canonici dispositionem trahunt, vel trahi faciunt, vel procurant directè, vel indirectè, quovis quæsito colore: Necnon qui statuta, ordinationes, constitutiones, pragmaticas, seu quavis alia decreta in genere, vel in specie, ex quavis causa, & quovis quæsito colore, ac etiam prætextu cuiusvis consuetudinis, aut privilegij, vel alia quomodolibet fecerint, ordinaverint, & publicaverint, vel factis, & ordinatis vti fuerint, unde libertas Ecclesiastica tollitur, seu in aliquo læditur, vel deprimitur, aut aliàs quovis modo restringitur, seu nostris, & dictæ Sedis, ac quorumcunque Ecclesiarum iuribus quomodolibet directè, vel indirectè, tacitè, vel expressè præiudicatur.

Imped. Præl. ne sua iurisd. utantur, quique illorum, & deleg. iudicia eludentes ad Cur. secul. recur. aut contra illos decernunt, præstantesque auxilium.

16. Necnon qui Archiepiscopos, Episcopos, aliosque superiores & inferiores Prælatos, & omnes alios quoscumque Iudices Ecclesiasticos ordinarios quomodolibet hac de causa directè, vel indirectè carcerando, vel molestando eorum agentes, procuratores, necnon consanguineos, affines, aut aliàs impediunt, quominus sua iurisdictione Ecclesiastica contra quoscumque utantur, secundum quod Canones, & Sacræ Constitutiones Ecclesiasticæ, & decreta Conciliorum Generalium, & præsertim Tridentini statuunt; ac etiam eos, qui post ipsorum Ordinarium, vel etiam ab eis delegatorum quorumcunque sententias, & decreta, aut aliàs fori Ecclesiastici iudicium eludentes, ad Cancellarias, & alias Curias seculares recurrunt, & ab illis prohibitiones, & mandata, etiam pœnalia, Ordinariis, & delegatis prædictis decerni, & contra illos exequi procurant, eos quoque qui hæc decernunt, & exequuntur, seu dant auxilium, consilium, patrocinium, & favorem in eisdem.

Vsurpantes Sedis Apost. & quorumcunque Ecclesiasticas iurisdictiones, vel etiam fructus sequestrantes.

17. Quive iurisdictiones, seu fructus, redditus, & proventus ad Nos, Sedem Apostolicam, & quascunque Ecclesiasticas personas, rationes Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum pertinentes usurpant, vel etiam quavis occasione, vel causa, sine Romani Pontificis, vel aliorum ad id legitimam facultatem habentium expressa licentia sequestrant.

Imponentes decimas, & alia onera personis Ecclesiasticis, Ecclesiis, Monasteriis, aut eorum fructibus.

18. Quive collectas, decimas, talleas, præstantias, & alia onera clericis, Prælati, & aliis personis Ecclesiasticis, ac eorum & Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum beneficiorum, bonis, illorumque fructibus, redditibus, & proventibus huiusmodi absque simili

Rom. Pont. speciali, & expressa licentia imponunt, & diversis etiam exquisitis modis exigunt, aut sic imposita, etiam à spontè dantibus, & concedentibus recipiunt. Necnon qui per se, vel alios, directè, vel indirectè prædicta facere, exequi, vel procurare, aut in eisdem auxilium, consilium, vel favorem præstare non verentur, cuiuscumque sint præminentie, dignitatis, ordinis, conditionis, aut status, etiam Imperiali, aut Regali præfulgeant dignitate, seu Principes, Duces, Comites, Barones, & alij Potentatus quicunque, etiam Regnis, Provinciis, Civitatibus, & Terris quoquo modo Præsidentes, Consiliarij, & Senatores, aut quavis etiam Pontificali dignitate insigniti, Innoventes decreta super his per sacros Canones, tam in Lateranensi novissimè celebrato, quam aliis Conciliis generalibus edita, etiam cum censuris, & pœnis in eis contentis.

Iudices seculares, qui se interponunt in causis capitalibus, seu criminalibus contra Ecclesiasticas personas.

19. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & quoscunque Magistratus, & Iudices, Notarios, Scribas, exequutores, subexequutores quomodolibet se interponentes in causis capitalibus, seu criminalibus contra personas Ecclesiasticas, illas processando, banniendo, capiendo, seu sententias contra illas proferendo, vel exequendo, sine speciali, specifica, & expressa huius Sanctæ Sedis Apostolicæ licentia, quique huiusmodi licentiam ad personas, & casus non expressos extendunt, vel aliàs illa perperam abutuntur, etiam si talia committentes fuerint Consiliarij, Vicecancellarij, aut quovis alio nomine nuncupati.

Occupantes bona, aut terras Ecclesiæ Romanæ, & illius iurisdictionem usurpantes.

20. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui per se, seu alios, directè, vel indirectè sub quocunque titulo, vel colore inuadere, destruere, occupare, & detinere præsumperint, in totum, vel in partem, Almam Urbem, Regnum Siciliae, Insulas Sardiniae, & Corsicæ, Terras citra Pharium, Patrimonium Beati Petri in Tuscia, Ducatum Spoletanum, Comitatum Venesinum, Sabinensem, Marchiam Anconitanam, Massæ Trebariae, Romandiolæ, Campaniæ, & maritimas Provincias, illarumque Terras, & loca, ac Terras specialis commissionis Arnulforum, Civitatesque nostras Bononiam, Casanam, Ariminum, Beneventum, Perusinum, Avenionem, Civitatem Castellum, Tudertum, Ferrariam, Comaculum, & alias Civitates, Terras, & loca, vel iura ad ipsam Romanam Ecclesiam pertinentia, dictæque Romanæ Ecclesiæ mediata, vel immediata subiecta: necnon supremam iurisdictionem in illis Nobis, & eidem Romanæ Ecclesiæ competentem de facto usurpare, perturbare, & vexare variis modis præsumunt, necnon adherentes, fautores, & defensores eorum, seu illis auxilium, consilium, vel favorem quomodolibet præstantes.

Absolutio soli Pontifici reservatur.

Volentes præsentis nostros processus, ac omnia, & quacunque his literis contenta, quousque alij huiusmodi processus à Nobis, aut Rom. Pont. pro tempore existente fiant, aut publicentur, durare, suosque effectus omnino sortiri.

Absolvere præsumentes excommunicantur.

Ceterum à prædictis sententiis nullus per alium quam per Rom. Pont. nisi in mortis articulo constitutus,

tus, nec etiam tunc, nisi de stando Ecclesiæ mandatis, & satisfaciendo cautione præstita, absolui possit, etiam prætextu quarumvis facultatum, & indultorum quibuscumque personis Ecclesiasticis, secularibus, & quorumvis Ordinum, etiam Mendicantium, ac Militiarum regulatibus, etiam Episcopali, vel alia maiori dignitate præditis, ipsisque Ordinibus, & eorum Monasteriis, Conuentibus, & Domibus, ac Capitulis, Collegiis, Confraternitatibus, Congregationibus, Hospitalibus, & locis piis, necnon laicis, etiam Imperiali, Regali, & alia mundana excellentia fulgentibus, per Nos, & dictam Sedem, ac cuiusvis Concilij decreta, verbo, literis, aut alia quacumque scriptura in genere, vel in specie concessorum, & innouatorum, aut concedendorum, & innouandorum.

Quod si forte aliqui contra tenorem præsentium talibus excommunicatione, & anathemate illaqueatis, vel eorum alicui absolutionis beneficium impendere de facto præsumpserint, eos excommunicationis sententia innodamus, grauius contra eos spiritualiter, & temporaliter, prout expedire nouerimus, processuri.

Papa absolutio non comprehendit eos, qui à præmissis non desisterint.

Declarantes ac protestantes quacumque absolutionem, etiam solenniter per Nos faciendam, prædictos excommunicatos sub præsentibus comprehensos, nisi prius à præmissis, cum vtro proposito ulterius similia non committendi, desisterint; ac quoad eos, qui contra Ecclesiasticam libertatem, vt præfertur, statuta fecerint, nisi prius statuta, ordinationes, constitutiones, pragmaticas, & decreta huiusmodi publicè reuocauerint, & ex Archiuis, seu capitulatis locis, aut libris, in quibus annotata reperiuntur, deleri, & cassari, ac Nos de reuocatione huiusmodi certiores fecerint, eos non comprehendere, nec eis aliter suffragari, quin etiam per huiusmodi absolutionem, aut quoscumque alios actus contrarios, tacitos, vel expressos, ac etiam per patientiam, & tolerantiam nostram, vel successorum nostrorum quocumque tempore continuatam, in præmissis omnibus & singulis, ac quibuscumque iuribus Sedis Apost. & S. R. E. vnde cumque & quodcumque quæsitis, vel quærendis, nullatenus præiudicari posse, aut debere.

Non obstantibus privilegiis, indulgentiis, indultis & literis Apostolicis, generalibus, vel specialibus, supradictis, vel eorum alicui, seu aliquibus aliis cuiuscumque ordinis, status, vel conditionis, dignitatis, & præeminentiæ fuerint, etiam si, vt præfertur, Pontificali, Imperiali, Regali, seu quavis Ecclesiastica, & mundana præfulgeant dignitate, vel eorum Regnis, Provinciis, Ciuitatibus, seu locis à prædicta Sede ex quavis causa, etiam per viam contractus, aut remunerationis: & sub quavis alia forma, & tenore, ac cum quibusvis clausulis, etiam derogatoriis derogatoriis concessis, etiam continentibus quod excommunicari, anathematizari, vel interdicti non possint per literas Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum, de privilegiis, indulgentiis, & indultis, huiusmodi, ac de ordinibus, locis, nominibus propriis, cognominibus, & dignitatibus eorum mentionem, necnon consuetudinibus etiam immemorabilibus, ac præscriptionibus quantumcumque longissimis, & aliis quibuscumque obseruatiis, scriptis, vel non scriptis, per quæ contra hos nostros processus, ac sententias, quominus includantur in eis, se iuuare valeant, vel tueri.

Quæ omnia quoad hoc, eorum omnium tenores, ac si ad verbum, nihil penitus omisso, inferrentur, præsentibus pro expressis habentes, penitus tollimus, & omnino reuocamus, cæteraque contraria quæcumque.

Vt verò præsentis nostri processus ad publicam omnium notitiam facilius deducantur, chartas, seu membranas processus ipsos continentes, valuis Ecclesiæ S. Ioan. Lateran. & Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe appendi faciemus, vt ij, quos processus huiusmodi concernunt, quod ad ipsos non peruenierint, aut quod ipsos ignorauerint, nullam possint excusationem prætere, aut ignorantiam allegare, cum non sit verisimile, id remanere incognitum, quod tam patenter omnibus publicatur. Insuper, vt processus ipsi, & præsentis literæ, ac omnia & singula in eis contenta eo fiant notiora, quod in plerisque Ciuitatibus, & locis fuerint publicata, vniuersis, & singulis Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, & locorum Ordinariis, & Prælatibus vbi libet constitutis, per hæc scripta committimus, & in virtute sanctæ obedientiæ distictè præcipiendo mandamus, vt per se, vel alium, seu alios præsentis literas, postquam eas receperint seu earum habuerint notitiam, semel in anno, aut si expedire viderint, etiam pluries in Ecclesiis suis, dum in eis maior populi multitudo ad diuina contenerit, solenniter publicent, & ad Christi fidelium mentes reducant, nuncient, & declarent.

Quicumque audiunt confessiones apud se has literas habeant.

Cæterum Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, aliique locorum Ordinarij, & Ecclesiarum Prælati, necnon Rectores, cæterique curam animarum exercentes, ac Presbyteri seculares, & quorumvis Ordinum regulares ad audiendas peccatorum confessiones quavis auctoritate deputati, transumptum præsentium literarum penes se habeant, easque diligenter legere, & percipere studeant. Volentes earundem præsentium transumptis etiam impressis, Notarij publici manu subscriptis, & sigillo Iudicis ordinarij Romanæ Curie, vel alterius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eandem prorsus fidem in iudicio, & extra illud vbi que locorum adhibendam fore, quæ ipsis præsentibus adhiberetur si essent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ excommunicationis, anathematizationis, interdicti, innouationis, declarationis, protestationis, iubilationis, reuocationis, commissionis, mandati, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se noverit incursum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo quinquagesimo sexto. Idib. Aprilis, Pontificatus Nostri anno 1.

Loco + Plumbi.

I. Card. Prodaturus.

G. Gualterius.

Visa di Curia P. Ciampinus.

P. Ciampinus.

Registrata in Secretaria Brevium.

Publicatio.

Anno à Natiuitate Domini millesimo sexcentesimo quinquagesimo sexto, Indictione nona, Pontificatus Sanctiss. in Christo Patris, & D. N. D. Alexandri diuina Providentia Papa VII. anno eius secundo, die verò 13. mensis Aprilis, supradicta litera Apostolica, affixa, & publicata fuerunt ad valuas Curie, & in acie Campi Flora, ac in aliis locis solitis, & consuetis Urbis, per me Petrum Paulum de Grassis Apostolicum Cursorem.

Pro D. Mag. Curs. Iacobus Cornelius Cursor.

Quibus

Quibus quidem literis diligenter inspectis, illas ad requisitionem, & instantiam Mag. D. Iustini Gentilis Sanctissimi D. N. Papæ, & Cameræ Apostolicæ Proc. Fiscalis, per nostrum, & dictæ Curia Notarium, & Mensarium infra scriptum transumi, & exemplari, ac in hanc publicam transumpti formam redigi mandauimus. Decernentes, & volentes, vt huic præfenti transumpto, iuxta earundem literarum, & decreti in eis appositi formam, continentiam, & tenorem, de cætero plena, & indubitata fides adhibeatur vbique locorum, ac si ipsæ literæ originales exhibita, vel ostensa forent. Quibus omnibus, & singulis auctoritatem nostram ordinariam, & decretum interposuimus, & interponimus per præfentes. In quorum fidem præfentes literas, atque præfens publicum instrumentum transumpti exinde fieri, & per dictum

nostrum, & Curia nostræ Notarium infra scriptum subscribi, & publicari mandauimus, nostrique soliti sigilli impressione muniri iussimus, & fecimus.

Datum Romæ ex ædibus nostris, an. Domini 1656. Indictione 5. die verò 13. mensis Aprilis, Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris & Domini N. D. ALEXANDRI diuina providentia Papæ VII. anno 2. Præsentibus ibidem DD. Iacobo Simoncello, & Gaspare Chrysostomo, dictæ Curia nostræ Notariis, ad prædicta omnia & singula vocatis, habitis specialiter atque rogatis.

Loco † Sigilli.

Od. Vecchiarellius Auditor Cameræ.

Loco † Signi.

Dominicus Petruccioli Cur. Caus. Cameræ
Apostolicæ Notarius & Mensarius.

DEO OPT. MAX. sit sempiterna Laus, & Gloria. Amen.



ADDITIONES